



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Anastasia Martyr. 22. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

vulnera Iesu Christi , ibi firmatur fides , augetur spes ,
 & charitas perficitur . An credo , quod fuerit propter
 me flagellatus & crucifixus ? Ah ! si crederem , qui vo-
 luptates amarem ; cum ipse tantum dolores amarit .

3. Fides S. Thomæ nequaquam fuit sterilis , nam
 proprio sanguine Evangelium confirmavit , quod in
 remotissimis Regionibus prædicaret . Vana est illo-
 rum fides , qui verbis jactant se credere , & nosse Chri-
 stum , factis autem negant . An paratus essem , sangu-
 ine fidei veritatem confirmare ? tu , qui Dei gratiam &
 Paradisi spem breviori gaudio postponis ? quomodo
 te Christianum dicam , cum ne hominem quidem te
 probes actionibus tuis ? Si verè te hominem appellarem
 queo , quo tandem modo potero fidem vocare ? Chrys.

S. ANASTASIA Martyr.

22. Decemb.

*Christus passus est , vobis relinquens
 exemplum , ut sequamini vesti-
 gia ejus . Petr. 1. c. 2.*

Anastasia è Romano & patritio sanguine
 Patrem in Fide agnovit S. Chrysologo-
 num . Nupta viro (Publio Nomen erat) à
 Christia-

Christiana religione alieno, Matrimonii usu
semper abstinuit, sive castitatis amore, sive
superstitionis odio. Interea tamen mater pro
Christo vincitorum audiebat, quos illa sum-
mis studiis ultimisque servitiis colebat, tunc
præsertim, cùm Conjunx malus malam mor-
tem obiit, qui carcere omnibusque malis,
dum vixit, Anastasiam exercuit. Publio Ul-
pianus in impietate successit, sed quòd vim
inferre castissimæ tentasset, oculos primò or-
batus, mox vitâ ejectus Publum ad Orcum
quoque subsecutus est. Sub hæc cùm bene
magnus numerus Christianorum in navim
perforatam imponeretur, certo naufragio pe-
rituris Dux Anastasia data est. Sed neque sic
navigantibus sidera defuerunt. Vîta est in ve-
lis D. Theodota nuper è flammis cum tribus
filiis astris inserta. Hæc Helenâ magis propi-
tia navim ad littus appulit. Sed hem in por-
tu alia tempestas insurgit! Anastasia tribus
palis alligata igne exuritur; socia turba omnis
per diversa supplicia fortis animos expirat, eâ
in vultu & oculis lætitia, ut ad Nuptias ire o-
mnes dixisses. Et ibant, sed Agni; ituri por-
rò, quocunque hic iverit, quid? quod vesti-
gia sua, quò nos etiam sequi sciremus, san-
guine signâiunt. Ex Metaph.

M E D I T A T I O.

De amore Jesu Christi.

1. **A**nimum recte præparaveris ad Christi Nativitatem, si ejus in te amorem fueris meditatus: **I**s amor (ut refert D. Bernardus) fuit tener, fortis, & sapiens. Iesus teneriori amore nos complexus est; nam vidit miserias nostras, & commota sunt viscera ejus. Cur amantissimum Jesum non redamo? Ah! lapideum est cor meum; Jesu corpusculum riget in præsepio meâ causâ, nec moveor!

2. Amor Jesu fortis fuit, quoniam, ut nobis bene faceret, atrociora supplicia, & mortem ipsam superavit. Ah, Domine! parum fortis est meus in te amor, cum levissimo dolore vincatur. Amare Jesum nihil facilius. Non omnes possunt jejunare, peregrinari, largiri eleemosynam; ast omnes possunt amare Jesum, nam ad eum amandum unum cor sufficit. Quid dulcius, quam amare, quod amabilissimum est?

3. Amor Jesu sapiens fuit, quippe portam Paradisi aperuit. Patitur ille quidem, nos hac in vita variis procellis agitari, ut in portu hilares simus: hac ratione ipsum ama. Nunc denega corpori leviores & breviores voluptates, ut olim maximis & æternis fruatur. Scis ea qua tibi obveniunt diligere, & te ipsum nescis diligere. **I**s tibi uochior, quam tua. Eucher.

S. SER.